

- Tarantulæ ictus relinquit hominem in statu, quo invenit, sed potius dicunt saltationem continuam cum dementia, ab ictu ejus provenire.
- Percussio viperæ totum corpus tumidum reddit, Icterus aliquando flavum, aliquando nigrum infert, horrores, refrigerationes, mentis stuporem, singultus, febres, Hæmorrhagiam narium, difficultatem anhelitus subinde inferens.
- Araneæ punctura tumidum reddit hominem, & hoc peculiare habet, quod puncti in excrementis & urinâ ejiciunt telis aranearum aliquid simile.
- Aspidis morsus visus hebetudinem, tumorem faciei, surditatem & dolorem hebetem, cum torpore, crebros hiatus & inclinationes colli infert.
- Si quis pertransiverit tumulum Embryonis mortui in utero, ante partum ferunt corpus ejus ita aduri, ac si se urticis fricasset.
- Canis rapidi saliva ex dentibus morfu, in carne relicta, inducit Hydrophobiam, & omnia symptomata quæ in canibus rabidis videntur, & si alium momorderint, iis etiam accidunt talia symptomata, &c.
- Dens cadaveris longa tabe extincti, solo tactu dentes excidere facit.
- Tempore conceptus, si contigerit mulierem pertransisse sedem leporis, infans bifurcato labio notabitur.
- Capillus cadaveris longa tabe extincti, calvitiam facit solo tactu.
- Ungulæ jumentorum lascivientium dysentericis venena.
- Catula luxurians, si manum alicujus lambat, vesicatur.
- Stragulum ex pelle gulonis (animal est in Suecia voracissimum) excitat insomnia de venatione, & epularum voracitate.
- Crabronum, Apum & Vesparum ictus inflammationem partis causant.
- Solifuga (animal exiguum est instar araneæ) fodinis argenteis frequens, si quem pungat, excitat vesiculam venenosam, unde oritur pestis.
- In morfu canis rabidi crescunt vermes capite canino, item in demorsorum urina.
- Vinum in quo viva anguilla perierit, item in quo ponitur polluties ranarum, homines vinum pro vitæ spatio abhorre facit, & abstemios reddit.
- Sal Viperæ ptyalismum homini excitat, quasi Mercurio usus fuisset.
- Dipsadis morsus siti intolerabili excruciat.
- Piscis quidam, qui ob id febricus dicitur, præhenso febrem inducit, si manu gestaverit.
- Capræ pellis gestata vel odorata, epilepsiam reducit, & istud animal insultibus epilepticis maximè tentatur.
- Sanies viperina, mixta cum sanguine humano, toxicum est hominibus lethale.
- Urina arietum à muliere epota inhibet ejus conceptum.
- Stercus leporis gestatum idem præstat.
- Vermiculi noctu lucentes si exhibeantur homini, eum emasculant.
- Si caudæ Pavonis pennas deferenti ex casu aut ictu contingat hæmorrhagia, non potest sisti sanguis, nisi iis ablatiis.